

1. Amerbachius, V.,
2. Aurbachius, Ph. Gis.
3. Breithauptus, Am.,
4. Burkard, J.,
5. Erhard, P. H., *Fantophilus*.
6. Duras epistoliarum.
7. Höheisel, D. F.,
8. Jagler, J. F.,
9. Müllerus, P.,
10. Neubarth, J.,
11. Praetorius, J.,
12. Schottgenus, Ch.,
13. Vangerow, W. G.,
14. Voltairi.
15. Withofus, J. H.,
16. Tabella.
17. Remarques
18. Part de ce merier.
19. 20 Versuch.

F.C 1233

EK 3412 5
**INVESTIGATIONEM
FORMVLARVM POP. ROM.
SOLEMNIVM**

**AD
COMPARANDAM LATINAЕ
ORATIONIS ET ELOQVENTIAE
CIVILIS FACULTATEM
ESSE NECESSARIAM**

AD ORATIONEM
**QVA
ELOQVENTIAE ET POESEOS
PVBLICE DOCENDAE MVNVS**
**A
SERENISSIMIS ACADEMIAE
CONSERVATORIBVS**
**SIBI DEMANDATVM
RITE AVSPICABITVR
AVDIENDAM**
**PATRONOS ET FAVTORES
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
ET HVMANITATE**
INVITAT
CHRISTIAN. HENR. ECKHARD.

**TENAE EX OFFICINA RITTERIANA
A. O. R. C. I. CCCXXXIII**

LXXV



V
ERBORVM delectum originem et radicem
esse eloquentiae quum non magis IULII
CAESARIS, * bene dicendi auctoris sci-
tissimi, iudicio, quam rei ipsius ingenio
probe perspecto cognoscamus: nihil est, in quo
maiori primum elaborare studio, et omnes quasi
neruos industriae intendere debeat, qui orandi
facultate aliis praestare cupit, quam in verbo-
rum prudenter eligendorum apteque collocan-
dorum scientia. Pulchrum quidem est acute sa-
pienterque cogitare, magnae vti artis, ita ex-
quisitae scientiae est, sententias paeclaras deco-
re commodeque disponere atque exornare: at
parum, totum illud, quantumcunque etiam sit,
proderit, nisi ea, quae recte sentias et prudenter
intelligas, polite eloqui possis, et sententiae, licet
optimae et sapientissimae, neque ad delectatio-
nem, neque ad motum animorum permultum
valebunt, nisi verborum quoque splendore sint
illuminatae. Nam vti aedificium summa et mi-
rifica partium omnium, e quibus contexitur,
conuenientia, ad perfectissimam quamdam regu-
lam tam concinne compositum, ut nihil in hoc ge-
nere

* Apud CICERONEM in Bruto cap. LXXII.

nere addi posse videatur, et variis praeterea ornamentiis, quae illud maxime decent, splendide condecoratum, nisi materia bona, eaque probe parata et digesta constet, et calx, saxa, ligna, camenta sua se praestantia commendent; tametsi pulchritudinis speciem habet, oculosque pascit et retinet, artis tamen peritis minime placet: sic electione et suaui verborum constructione oratio est conformanda, quae mentes alliciat, hominum teneat coetus, et admirationes efficiat. Atque eo magis vis ratioque dicendi omnis in hac re expromitur, quod ab hac virtute eloquentia nomen inuenit, non ab inuentione, aut rerum dispositione, quae vtpote aliarum artium communis, tamquam illustrioris facultatis instrumentum comparata est subsidio. Eloquentia enim ab eloquutione dicta, et, vt ab eadem orator, ita etiam oratio, quae non aliud est, quam oratoris eloquutio.* Quapropter vehementer eos fallit opinio, quotquot, falsa notione animo comprehensa, tam arcte eloquentiae spatium circumscribunt, vt intempestiuo ornandae orationis studio ducti, flores omnes persequantur, aut res inueniendi atque disponendi scientia amplissimum eius artis ambitum metiantur. Non tam angustis finibus copiose loquendi sapientia con-

A 2

tine-

* IAC. LUDOV. STREBAEVS de *election. et orat. colloq. verb.* L. I. cap. II.

tinetur, et quidquid in eloquutione consistit, totum id, quantumcunque est, quod prope immensum est, notatione animaduersioneque rerum singularium constat. Maius quiddam est verborum delectus, quam vulgus opinatur, et quisquis ex eo omnes dicendi virtutes tamquam ex fonte manare existimat, is ad suum iudicium non meam solum, sed doctissimorum etiam hominum sententiam adscribat. Longum foret, omnia haec sigillatim persequi, et non necessarium, eo quod a praestantissimis viris, qui latine loquendi paecepta libris tradita reliquerunt, satis copiose haec sunt explicata.

Quoties rationem formularum solemnium, quae a Romanis de vniuersis omnis generis rebus constitutae erant, cogitaui, cogitaui autem saepenumero; toties mirari in mentem venit, tanta eam cura non suscipi, quanta opus erat ad accuratius dicendi genus effingendum et eloquentiae, in reipublicae luce efflorescentis, instrumenta comparanda. Velim nolim, fatear oportet, difficile esse statuere, plusne lucis formularum obseruatio iurisprudentiae et antiquitatis memoriae, an lautiora pleniores efficiendi orationem praesidia eloquentiae adferat studio. Omnes quidem uno ore consentiunt, **BARNABAM BRISONIVM**, virum in tantum laudandum in quantum

tum illustris dignitatis locus, quem in republica
virtute sua obtinuit, et ingentia in litteras me-
rita intelligi possunt, collectis et exquisitis ex
omni veteri memoria formulis populi romani
solemnibus, tam insignem operam iis, qui ad
legitimae iuris scientiae laudem incumbunt,
nauasse, ut frustra sit, qui sine earum luce Qui-
ritium, gentium dominorum, instituta mores-
que velit cognoscere. At quotusquisque est,
qui magnam pulcherrimo hoc opere gratiam ab
elegantioris litteraturae studiosis eum iniisse
dicat, et ad dictiōnem in foro ornandam per-
multum contulisse existimet? At si quam dili-
genter et magno eruditionis adparatu splendi-
dissimus doctissimusque ille Senatus Parisiensis
praeses solemnia P.R. verba, et probatissima con-
suetudine receptas ratasque dicendi formulas
inuestigauit et in vnum congescit, tam praeclare
quoque vim potestatemque illarum explicasset;
melius profecto cum eloquentiae litterarumque
mansuetiorum studiis ageretur. * Etenim si,
quae vis et ratio formulis illis subiecta sit, non
intelligatur, quomodo recte apteque orationi
accommodari possunt, ut tamquam gemmae in-
textae emineant? Nonne alio illae transferan-
tur

A 3

* vid. CORNELIUS VAN BYNKERSHOEK in commentario ad
L. Lecta cap. III.

tur necesse est, non satis excussa earum notione, quam et ratio patitur, et usus Romanorum referat? Ex quo satis, opinor, intelligi potest, explicatam formularum rationem latissime patere, nec ad iuris tantum veteris, quod Romae sanctum est, intelligentiam pertinere. Primus vero, quantum scio, hoc perspexit, limati iudicij exquisitaeque doctrinae vir, IOANNES HENRICVS BOECLERVS, qui scite non minus atque intelligenter insignem quemdam multiplicemque usum in omni Romanae antiquitatis memoria formulas solemnes habere pronunciat.* Longe vero maius illud esse recte arbitratur, quod eloquentiae studiosi ad obseruandam pernoscendamque latini sermonis puritatem, proprietatem, auctoritatem, facultatem formularum inuestigatione rite imbui queant. Quod vti suffragio suo comprobant SCHEFFERV, ** MORHOFIVS, *** aliique solertissimi dicendi magistri, ita formulas solemnes feligendi studium omnibus, quotquot ad elegantioris doctrinae decus splendide loquendi laudem adiungere cupiunt, disertissimis verbis commendant.

Postquam igitur, decreto mihi a SERENISSIMIS MVNIFICENTISSIMISQVE HV.

* in Diff. de comparand. lat. ling. facultate Cap. IIII. §. III.

** de filio illiusque exercitiss Cap. XII. §. XII. p. 156.

*** de pura dictione Cap. V. §. VI. et Cap. VIII.

HIVVS ATHENAEI CONSERVATO-
RIBVS, DOMINIS MEIS LONGE
CLEMENTISSIMIS, riteque tradito mu-
nere, quod me inde ab ineunte aetate mirifice
cepit, et a pristinae vitae studiorumque sectae
rationibus non abhorret, eae mili partes sunt
impositae, ut politiorum artium disciplinas,
quibus ad humanitatem orandique facultatem
enitimus, tradere: nihil a loco alienum me fa-
cturum arbitror, si totam hanc formularum so-
lemnum rationem ab incunabulis romanae di-
sciplinae repeterem, et quantum illa cum ele-
gantiae dicendi, tum eloquentiae in luce reipu-
blicae positae, vsibus adcommodata sit, paullo
luculentius exponerem.

Primum vero omnium res nota atque apud
omnes peruulgata est, nullam vitae partem, ne-
que publicis, neque priuatis, neque forensibus,
neque domesticis in rebus, apud Romanos ratis
ac statis formulis vacasse, nec ullum negotiorum
genus fuisse, sive secum agerent quid, sive cum
aliis contraherent, quod non et ritu solemni et
adhibitis verbis conceptissimis explicarint. Ni-
mirum iam inde a vetustissimis reipublicae tem-
poribus nihil prius, nihilque antiquius Romanos
habuisse accepimus, quam ut in omnibus rebus
dignitatem et splendorem quemdam p[re]fer-
rent,

rent, quod maximam illud vim habere videbatur et ad retinendam domi disciplinam, et ad declarandam foris maiestatem. Nihil proinde nisi rite et cum adparatu suscipiebatur, et omnia caerimoniarum religione, qua mirum in modum dicitur, externa rerum specie decepta, multitudo, veluti consecrarent. Vix autem constare diu poterant ritus institutaque maiorum, vt pote ambigua incertaque hominum voluntate fluctuantia, nisi verborum quibusdam conceptionibus ad certam, fixam, perpetuoque sibi similem formam redigerentur. Quo magis adducor, vt credam, cum ipsis ritibus institutisque Romanorum in republica natas esse solemnes formulas, aut ex iis profectas, quod imagines rerum, quibus adtributae sunt, tam expressas praebant, vt res ipsae paene oculis subiectae videantur. Quamquam vero arcta inter se cognatione ritus formulaeque continentur, vt neutrum sine altero intelligi queat; placet tamen formulas a ritibus seiunctas seorsum spectare, et quantum orationi elegantiae adferant, exponere. Vti ritus formamque cuiusque negotii praescribere, sapientissimorum fuisse hominum vel me tacente unusquisque intelligit: ita quoque dubium esse nemini potest, quin formulae de rebus omnibus ab iis constitutae sint, qui, et auctoritate,

tate, et prudentiae laude prae cacteris excelle-rent. Aliterne vero hoc fieri potuit, quum rerum simulacra ritus, et rituum imagines formulae comprehendant? An igitur formulas rite con-cipere potuissent homines, nulla exquisita rerum cognitione praediti, qui neque rerum naturam et indolem perspicere, neque similitudines compa-reare poterant? Sane principes reipublicae for-mularum architectos fuisse, vel ex eo satis colligi potest, quod patricii et pontifices illas com-po-fuisse formulas nouimus, quibus ytebantur, qui in iudicio experiri volebant.* Iam quum patricii iure quodam hoc sibi arrogarent, quod ex antiqissimo Romuli instituto iudiciis exercendis praeerant, vti DIONYSIUS HALICARNASSENSIS memoriae prodidit, ** quis dubitet, quin de iis omnibus, quae ad rem diuinam et ciuilem, cum publicam, tum priuatam pertinebant, solemnes verborum conceptiones prodiderint.

Quod si a sapientissimis viris, iisque illustri in dignitatis loco constitutis, profectae sunt for-mulae solemnes, eaeque communi bene loquentium vsu sunt probatae, quid aliud intelligitur, quam permultum illas facere ad comparandam latinis sermonis facultatem? Ut quisque enim

B

Ro-

* CICERO L. II. de oratore cap. XII. L. II. §. VI. D. de orig. iur.

** Antiquitat. rom. LII. 8.

Romae limatus politusque in dicendo videri cupiebat: ita maxime voces illas, loquendique formulas, quae solemni & publica consuetudine receptae erant, consectabatur. Quare quum ad exempla probatissimorum latinitatis auctorum conformanda est oratio, diligenter seligendae sunt solemnies Romanorum formulae, iisque, tamquam luminibus, frequentanda est oratio, ut ad normam elegantissimorum latinitatis auctorum quam proxime accedat. Quemadmodum vero illud dicendi genus sua se praestantia in primis commendat, quod exemplis veterum quam simillimum est; ita multum refert, vt, quanto fieri potest, studio, notentur solemnies voces et dicendi formulae, eaeque apte eleganterque oratione interponantur, quippe quae auctoritate et consuetudine non vnius alteriusue, sed omnium Romanorum sunt comprobatae.

Postquam igitur satis declaratum est, formulis P. R. solemnibus optime latini sermonis auctoritatem comprobari, facile quoque pater, adhibitis solemnibus verbis castitatem sermoni conciliari. Etenim oratio illis verbis composita, quibus Romani non ex vulgi faece, sed ex flore nobilitatis vtebantur, siue in senatu, siue in comitiis dicerent, siue in foro iudiciisque versarentur, castitatis laudem sustinet. Quanto vero

maio-

maiores auctoritatem et vim, quae legis non scriptae loco habenda est, publicus et ciuilis loquendi usus habet, tanto maior castitatis virtus ex civili usu orationi adiungitur. Hinc, si MORHOFFIO adcurate hac de re praecipienti auscultamus, ex ciuili usu maxime spectandae sunt voces purae, et ex formularum obseruatione germana et nativa latinitatis facultas companda est.

Interest quoque, formulas solemnes exquirere ad eam orationis laudem capescendam, quae dicendi continetur proprie-
tate. Nam si tum proprie loquendi genus adfertur, quando
voces, quae cuiusque ingenio ac designationi conuenientissimae sunt, promuntur, quibus, quae, melius utamur, quam
verbis, formulisque solemnis? quae rerum, quibus attributae
sunt, indolem ac naturam tam adcurare designant. Numquam,
inquit, BERGERVS, sumnum humanitatis decus, loquendi for-
mulas, vel consulares, vel senatorias vel forenses, vel pontificias,
ritualesque, vel alias, omnia reipublicae negotia, publice priuatim-
que domi bellique complexas, inspicimus, quin ipsarum rerum illa-
stria ac praesentia velut excitati spectaculo in senatu, in foro, iudiciis-
que, in aliis Romae partibus, locis, actionibusque, muneribus ver-
sari videamur. At latius hoc pater, quam ut ob temporis angu-
stiam res ex fontibus repetita, plenius atque copiosius explicari et
exemplis ex limatissimi latinitatis monumentis illustrari queat.
Vix opus est moneri, sponte enim liquet, illo proprietatis ge-
nere, quod ex solemniis formularum inuestigatione depro-
mitur, mirum in modum omnem antiquitatis romanae noti-
tiam instrui ac locupletari. Replicanda est omnis acu memoria,
pernoscendae consuetudines Romae veteris in illustri po-
sitae, ut scire apteque formulae solemnes ex ritibus expressae
orationi accommodentur, et, quae vis et potestas illis subiecta
sit, intelligatur.

Quandoquidem igitur sine rituum, qui apud Romanos obtinuerunt, cognitione nemo nec proprie loquendi laudem,
nec alias orationis virtutes, quae formularum solemniis ob-
seruatione parantur, complecti potest: et munera a SERE-
NISSIMIS ACADEMIAE CONSERVATORIBVS
mihi clementissime demandari partes tueri, et eorum, qui
man-

mansuetioribus Musis, in hac integerrima bonarum artium sede sese consecrant, studiorum rationibus consulere videor, si publicis recitationibus antiquitates romanæ strictem carptimque a v. c. NIEVPOORT, libello hanc in rem euulgato, traditas, explicare atque illustrare instituam. Exquisitis enim solemnibus et ciuili Romanorum consuetudine receptis formulis, hunc percipiemus instituti fructum sane amplissimum, ut cum veterum scriptorum monumenta recte intelligi, tum proprie et in reipublicae luce dicendi facultas comparari possit.

Quod dum cogito, religio mihi est tacere de inusitata et incomparabili MVNIFICENTISSIMORVM HVIVS ACADEMIAE TVTORVM clementia, qua, imposita mihi publice docendi prouincia, amplissima data est facultas, ad ingredienda rei oratione, omnisque melioris doctrinae spatia, et ad conata feliciter perficienda. Itaque quod pietati meae conuenit, oratione ipsis Calendis Iunii hora X. de arcta eloquentiae et iurisprudentiae apud Romanos coniunctione SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, Pryranei huius NVTRICII INDVLGENTISSIONIS gratias, quas deuotissimo animo concipere possum, suscepitis pro eorum salute et huius academiac incolumentate castis piisque votis, deuissime agam. Sed quia VOS, PRORECTOR MAGNIFICE, PATRESQVE ACADEMIAE omnium ordinum VENERANDI, eosque omnes, qui litteras amant et ornant, meae pietatis testes et fautores esse magnopere cupio; ita quanta possum obseruantia, studio, et opera rogo atque obsecro, vt mihi dicturo illud benevolentiae officiique genus prolix liberaliterque commendent, quod frequentia, suffragandi voluntate, et audiendi studio comprobatur. Quod si me consequatum esse cognouero, ita me deuinctum arbitrabor, ut nihil eorum, quea ad grati animi significationem pertinent, temere praetermittere debeam, omnesque intelligent, eius humanitatis et fauoris memoriam penes me fore perpetuam do atque constantem. P. P. pridie Calendas Iun.

CIO IOCC XXXXIII.



Fc 1233

ULB Halle
003 245 268

3



f

5b.

VD18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



INVESTIGATIONEM
FORMVLARVM POP. ROM.
SOLEMNIVM
AD
**COMPARANDAM LATINAЕ
ORATIONIS ET ELOQVENTIAE
CIVILIS FACVLTATEM
ESSE NECESSARIAM**

AD ORATIONEM
QVA
ELOQVENTIAE ET POESEOS
PVBLICE DOCENDAE MVNVS
A
**SERENISSIMIS ACADEMIAE
CONSERVATORIBVS**
SIBI DEMANDATVM
RITE AVSPICABITVR
AVDIENDAM
PATRONOS ET FAVTORES
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA
ET HUMANITATE
INVITAT
CHRISTIAN. HENR. ECKHARD.

TENAE EX OFFICINA RITTERIANA
A. O. R. C. I. D. C. X. C. X. X. I. I.